

In hoc versiculo exauditum se fuisse Christus ostendit, & quod de se dicit in praeterito, idem membris suis promittit in futurum. Protexisti, inquit, me a conuentu malignantium. Notum est ex Euangelio, quam sæpè conuenerint Principes Iudeorum aduersus Iesum, ut eum morti tradarent, ac doctrinam eius, & nomen extinguerent: nec solum Principes in Conciliū conuenerunt ad consultandum; sed etiam multitudo militum, ac satellitum conuenit ad operandum iniquitatem, ad Christum videlicet, illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Sed protexit eum Deus, ut neque conuentus malignantium Iudeorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret. Permisit quidem Deus Christi carnem flagellari, & cædi; sed & flagella, & mors mundi salutem operata, in gloriam, & triumphum versa sunt: & quod in capite præcessit, in membris quoque factum est, & fieri. Martyres enim protexit Deus, ut occisio corporis non solum non eis obesset; sed etiam prodesset ad gloriam sempiternam: & pios omnes Deus proteget, ut tribulatio ac persecutio cooptetur eis semper in bonum. Illud protexisti in hebræo est, proteges, siue abscondes: in græcis plerisque est, protege; & sic legunt Theodoretus, & Euthymius. tamen Hilarius, Hieronymus, & Augustinus in commentario, legunt, protexisti: quæ lectio facile cum hebraica concordatur: nā apud hebræos sæpè futurum ponitur pro praeterito, & contra: sed in sensu nulla varietas est.

III. Quia exacuerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Hæc referuntur ad conuentum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus; nimis consultando, accusando, insistendo apud Iudicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret: comparat autem Propheta verba malignantium Iudeorum gladio, & sagittis; quoniam gladius de proximo ferit: & præsentem: sagitta longè po-

situm, & absentem vulnerat: sic igitur Iudei palam præsentem Christum gladio linguæ occiderunt, cum eum coram in cōcilium suum adductum accusarunt, & quasi conuictum damnarunt dicentes, Reus est mortis; & postea ad tribunal Pilati iterum accusarunt, quasi seductorem, & ut crucifigeretur sæpè, ac sæpius institerunt; & hoc modo gladio linguæ iterum interfecerunt. Quia, inquit, exacuerunt, ut gladium linguas suas, ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum eum examinarūt, & lethifero iectu cum occiderent, dum condemnarent. Intenderunt arcum rem amaram; non solum palam quasi gladio ferierunt; sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi sagittas tetenderunt, cum tam sæpè ad eum miserunt, qui cum caperent in sermone, & cum proditore Iuda occulta colloquia miscuerunt, & cum falsos testes instruxerunt. Intenderunt arcum, rem amaram, id est, insidias tetenderunt, quæ insidiæ res amaræ, ac lethiferæ erant; ut sagittent, id est, ut sagittarent in occulto, id est, ex insidiis immaculatum: hic enim erat finis, & quasi scopus insidiarum, ut Christum maculatum, & peccatorem, id est, blasphemum, & seductorem falsis testimoniis, & accusationibus ostenderent; qui tamen revera immaculatus erat, & ad hoc venerat in mundum, ut maculas peccatorum ab aliis abstigeret. Illud, quia, non est in omnibus codicibus: nam in græcis, & quibusdam latinis habetur, qui res est parvum momenti; ut vox hebræa ambigua est, & tam, qui, quam quia significare potest. S. Hilarius legit, qui: S. Hieronymus, & S. Augustinus, quia.

Subito sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam.

Dixerat conuentum malignantium iam intendisse arcum, ut sagittarent immaculatum: nunc addit, omnino id futurum, eò quod obfirmati, & obdurati sint in malo: præuidebat enim Spiritus sanctus, & prædicebat obstinationem penè incredibilem.

V V 3. Iudeo-